FK 154
10

II m
971

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-11989-p0001-7

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-11989-p0002-3

(X 188 2516)

Nummi Ebraici

Interpres

In

Inclyto Auditorio Norimbergensi

Oratione Publica

repræsentatus

à

Wilhelmo Sey-Fried /
Norimb.

Literis Hæredum Felseckerianorum.

BIBLIOTHECA PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HALLE (SAALE)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-11989-p0004-4

PROGRAMMA.

M. ANDR. CHRISTIANVS ESCHENBACH

Eloqv. Poëſ. Hiſtoriar. ac Græcæ L. Profeſs. Publ.

L. S. P.

INter alias Cauſſas, qvæ Antiqvis expeditiorem, nobis difficiliorem, ad ſublimia Sapientiæ Sacraria enitentibus aditum reddunt, non ultima eſt, inevitabilis hodiè, & cum ipſis Diſciplinis tàm arctè connexa Variarum Lingvarum addiſcendarum Neceſſitas, ut ſi qvis hodiè Vnius Lingvæ fretus auxilio, omnes, vel ſaltem plerasq; Diſciplinarum difficultates ſuperaturum ſe ſperaverit, idem etiam unâ eâdemq; Semitâ ad diverſas mundi plagas iter ſe confecturum, ſperare poſſit. Cùm enim modico ab initio contenta Regno, Diva Sapientia, Græciæ fines vix exceſſerit, ipſa non aliter ferè, qvàm Græcè loqvi didicerat. Vnde *Galenus* Lib. II. de Differentiis Pulſuum, *Miraculi inſtar fuiſſe ait, unum hominem duarum Lingvarum peritum:* Δίγλωττός τις ἐλέγετο πάλαι, καὶ θαῦμα τοῦτ' ἦν ἄνθρωπος εἷς ἀκριβῶς δφαλέκτους δύο. Quæ cauſſa fuit, cur *Anacharſin* Philoſophum, Scythâ Patre, Matre autem Græcâ natum, inter Miracula iſta retulerint, & Δίγλωττον appellârint, qvod utriusqve Lingvæ peritus, utrâqve etiam Sapientiam loqventem feciſſet. Poſtqvam autem Regni fines proferre Regina Sapientia, Latiumqve Imperio ſuo adjicere aggreſſa eſt, vix ægrè tandem evicit, ut Romani annis ferè DX. poſt V. C. *Livio Andronico & Ennio Poëtâ* (qvi, qvod Græcè, Latinè & Oſcè intelligeret, Miraculi famam affectavit, & Tria ſe habere Corda gloriatus eſt) Magiſtris, Græcis Literis erudiri cœperint; tantâ tamen pertinaciâ propriæ Lingvæ dignitatem tuentes, ut Magiſtratus Romani, licet omnia jam occupaſſet Sapientia, Græcis, nunqvam niſi Latinè reſponſa darent, eosque per Interpretem loqvi cogerent, non in Vrbe ſolùm, ſed in ipsâ etiam Græciâ & Aſiâ, & Tiberius Imp. ad oſtendendam Imperii Majeſtatem ſollicitè Græco Sermone abſtinuerit. Donec tandem utraque harum Lingvarum, Græca nimirum & Romana, tantam Neceſſitatis Auctoritatem conſecuta eſt, ut ſi quis Sapientiæ Studioſus unam ignoraret, altero oculo carere ab omnibus judicaretur; adeò, ut jam non Δίγλωττος amplius inter Miracula relatus, ſed is potiùs Monſtro ſimilis reputatus fuerit, qvi ignoratâ Græcâ, per ſolam Romanam Lingvam vel mediocres profectus in Sapientiæ Studiis feciſſet. Hæ duæ Lingvæ diu poſtmodum in Sapientiæ Regno obtinuere, ut per iſtas ſolas Diva illa Auguſta Reſponſa civibus ſuis & ſubditis daret: Vſqve dum Majorum noſtrorum memoriâ, poſt longum demum Exilium, Terris reddita, univerſum, qva patet, Orbem occupavit, & omnia Auguſto ſuo Splendore illuſtravit, ita, ut jam non amplius Romanus tantùm aut Græcus, ſed Italus qvoqve, Germanus, Hiſpanus, Britannus, Gallus, ſceptra tam potentis Reginæ venerati, in aulam ejus & famulitium admitti, enixiſſimè laboraverint. Vnde evenit, ut hodiè non jam Δίγλωττος amplius Sapientia, ſed planè πολύγλωττος inter homines verſetur; &, licet in propriâ Aulâ, haud facilè aliter qvàm Græcè & Latinè loqvatur, tamen alibi, omnium Gentium ac Nationum

num Ore ac Dialecto, Oracula edat. Quod quidem ingens Beneficium Clementissimi Numinis, nemo est, qvi non agnoscat: Nemo tamen erit, qvi non simùl agnoscit, eo ipso auctam fuisse Difficultatem iis, qvi sedulò operam dant Veræ Sapientiæ Studiis, pertingendi tandem ad conspectum & affatum tam Ingentis Divæ. Cùm enim Prisci illi Græci ac Romani, domi satis abundè habentes, qvod nobis magno apparatu, ingenti sollertiâ foris quærendum est, vix aliam attigerint Lingvam, quàm Maternam, qvamqve cum ipso lacte imbiberunt (nam & Romani, Græcam Lingvam, licet maximè in Publico dissimulantes, Domi tamen & intra privatos Lares non minus Vernaculam habebant; qvam etiam in primâ infantiâ ab appositis sibi Nutricibus & Pædagogis balbutire didicerant æqve, ac propriam & Latinam) inde factum est, ut Pueri jam & Ephebi illas Disciplinas, illas Scientias ferè absolverint, qvas nos Robusti jam & Barbati vix attingimus: qvin Infantes penè per Ludum ac infantilia Ludicra ea didicerant, qvibus nos majorem partem Juvenilis ætatis occupare & consumere cogimur. Cujus rei Testis nobis satis idoneus esse possit *Plato*, qvi in Protagorâ ita de Infantium apud Veteres Institutione: *Vbi eò ætatis provectus Infans*, ait, *ut capere sermones possit, Nutrix, Mater, & Pædagogus sedulò curant, ut optimus & emendatus, qva verba, qva mores evadat. Deinde Ludimagistris tradunt, ut scribere & Citharâ canere discat. Qvibus perceptis, accedit ad Lectionem Poëtarum, in qvibus Virtutum præcepta, & Illustrium Virorum exempla.* Quid nos? nonne Infantilem ætatem, vel Cœli temperamento, vel Educantium vitio, Ludicris meris, & Nucibus dimittimus? In Pueritiâ, vix Vernaculæ Lingvæ rudimenta addiscimus; in Adolescentiâ demum Elementis Græcis & Latinis operam dare incipimus: in ipsis verò Lingvis addiscendis, tam lentè procedimus, ut eâ ætate, quâ Romani olim, jam post absolutum ferè universum Studiorum Cursum, aliqvot Stipendia meruerunt, in Foro versantes, Rebusque admoti, aliqvot Caussas egerunt, nos vix tandem (qvod illis Puerile Studium) Poëtam Græcum aut Latinum tractare sciamus: In Philosophiâ autem, & sublimioribus, ipsisque adeò Genuinis Sapientiæ Studiis ante Virilem ætatem haut facilè memorabile aliqvid proficientes. Ita nobis melior vitæ pars in solo Lingvarum, earumqve maximè necessariarum, Græcæ nimirum & Latinæ studio perit: ut adeò tùm demum Vivendi studia attingamus, cùm jam optima Vitæ pars elapsa est; & vivere demum discamus, cùm jam de Excessu cogitandum sit. Ad qvod malum, præter Desidiam nostram & depravatam Institutionem, non leve pondus confert, inevitabilis illa tot Lingvarum Necessitas, qvæ hodiè non tantùm Græcæ & Romanæ usum exigit, sed admodum freqventer illarum qvoqve peritiam reqvirit, qvas Romani aut Græci, Barbaras vocarent. Nemo enim inficias ibit, magno eum Bonarum Rerum carere fructu, qvi Modernas, uti vocant, Lingvas ignorat. Accedit major Difficultas illis, qvi præter Humanam Sapientiam, Divinorum qvoqve Oraculorum altissima penetralia salutare, & Cœlestis Sapientiæ arcana perscrutari gestiunt. Iis universa, qvanta qvanta est, Europa non sufficit: Oriens qvoqve adeundus & perdiscendus est; imprimisqve ea Lingva, qvam Sanctissimus ipse Benedictus dignatus est, ut in illâ & per illam potissimum Voluntatem suam nobis revelare, eâqve tanqvam Cœlesti qvodam Mercurio uti voluerit, ad perferenda nobis, Terræ incolis, sua sanctissima Mandata. Cujus, ut & reliqvarum, supra memoratarum, Lingvarum Dignitatem ac Necessitatem heîc pluribus adstruere, animus non est; cùm id alicunde ubertim satis sciri & intelligi possit, Vsusqve ipse, iis imprimis, qvi propiùs in Sacraria utriusqve Sapientiæ admissi, ejus felicissimo contubernio fruuntur, satis abundè id adstruat & confirmet. Hoc volumus: ut discant aliqvando ii, qvorum interest, qvàm malè sibi consulant, si musteam & optimam ætatis suæ partem, verumqve vitæ florem, frivolis & inanibus Nugis, aut Otio potiùs execrabili disperdere malunt, qvàm qvicqvam illarum rerum interea attingere, sine qvibus ad plenam Vitæ Felicitatem ne adspirare qvidem unqvam, ne dum pervenire poterunt: cumque nihilominus *Sapientiæ Studiosi* superbum Titulum, omnibus modis affectent, nihil Studioso homine dignum agunt, meditantur, cogitant;

Sed

Sed vanis vagisqve Oblectamentis, ceu utilibus Verisqve Studiis, juventutem suam miserè dilapidant: interim vel planè contemnentes Lingvarum Studium, vel satis superqve temporis sibi ad comprehendendas eas superfore arbitrantes, cùm in Academias, &, qvas vocant, Studiorum Vniversitates aliqvando delati fuerint: ignari prorsus, qvot & qvanta sint homini discenda, anteqvam vel mediocriter Docti, ne dum Sapientis nomen mereri qveat; nec intelligentes, Lingvarum Studium vix prima Sapientiæ Rudimenta & Elementa complecti, interqve Pueriles Labores referri ab iis, qvi memorabile qvondam inter Doctos Nomen sibi vindicare cupiunt. Vnde tales deinde, vel planè rudes, vel perfunctoriè ita imbuti Lingvarum cognitione, postqvam in Academias migrarunt, ubi sublimioribus, & Realibus, ut vulgo vocant, Disciplinis, assvefaciendus esset animus, vel ad singula cœcutiunt, vel magno suo malo demum ac dedecore ea discere coguntur, qvæ jam olim ignorasse, vel Pueris probro fuit. Intereà ruit Ætas, pereunt Sumtus, cruciatur Animus conscientiâ tam miserè actæ ac profligatæ Juventutis: &, cùm jam omnia deficiant, præ Desperatione obiter ex singulis Disciplinis tantum Spumæ festinanter deripitur, qvantum ventri alendo, fucumqve imperitis faciendo satis esse possit. Unde tot nobis hodiè Cadmei milites, eodem Die nati, cristati, & armati: qvorum tamen integras Legiones vel Hastatus aliqvis veræ Sapientiæ delere & prosternere facilè possit. Hæc secum reputans *Ornatissimus ac Politissimus Juvenis* WILHELMVS SEYFRIED, *Noribergensis*, postqvam semel Sacræ Musarum Militiæ nomen dare constituit, saluberrimo consilio id imprimis egit, ut heic apud nos Fundamenta Sapientiæ, Lingvarum Studio, ritè poneret, seseqve ita ad graviora deinceps & ampliora suscipienda & fortiter gerenda præpararet. Cumqve jam propediem ad sublimiora Academica Studia admitti desideret, non voluit antè ex Palæstra nostrâ discedere, qvàm *Oratione Valedictoriâ* publicè Patronis & Fautoribus Industriam suam probasset. Qvem in finem, cùm qvid in Romanâ Græcâqve Lingvâ hactenus profecerit, testium satis domi habeat, elegit sibi Argumentum Orationis *Numisma Hebræum*, cujus altera facies *Effigiem Salvatoris*, altera *Inscriptionem Hebræam* ambiguam & explicatu difficilem præ se fert; cujus verum sensum, qvoniam Noster ipsâ Oratione eruere pro virili allaborabit, nos idcirco ipsius Numi Ectypum in Fronte hujus Programmatis repræsentavimus; ut vel hoc ipso ostenderet Publicè, qvid privato studio, Ductu imprimis *Pl. Reverendi* DNi. PARENTIS *sui*, in Lingvâ Hebræâ hactenus præstiterit. Cui Orationi habendæ, cùm Crastinus dictus sit Dies, Dieiqve Hora antemeridiana Vndecima, Locus, Auditorium Ægidianum, ut illam

PATRIÆ PATRES MAXIME GENEROSI AC ILLVSTRES OMNIVM ORDINVM DOCTORES ET MAGISTRI CVNCTIQVE ADEO QVI LITTERAS ET INGENIA AMANT

perhonorificâ suâ præsentiâ comprobare ac provehere dignentur, Vterqve nostrum, Submissè, Observanter, ac Officiosè rogamus, Memoriam tantæ Benevolentiæ ac Humanitatis nunqvam deposituri. P. P. d. XIX. Febr. A. C. CIↃ IↃ CXCVI.

Cúm DEO

Maximè Generosi, Magnifici atque Prudentissimi

DOMINI

Illustris Reipublicæ Noribergensis Septemviri & Senatores Splendidissimi!

Patriæ Patres Benignissimi!

Ut &

Viri Magnifici, Nobilissimi, Excellentissimi, Maximè Reverendi, Consultissimi, Experientissimi, Multùm Plurimùmq; Reverendi, Maximè strenui, Amplissimi, Clarissimi!

Domini, Patroni, Fautores colendissimi!

QUod si consanguinitatem Judæis cum Messia intercedentem pensiculatius consideramus, extra omnem dubitationis aleam est positum, nullam gentem sub Olympo iisdem esse æquiparandam, potissimùm si huic eminentiæ veterem adoptionem gratiosam, promissionem mansuræ dignitatis perpetuam, totque privilegia divinitus indulta annumeraverimus. At verò si ipsorum occalescentes mentes ad improbam usque pertinaciam tenaces, si degenerationem & defectionem â Vivo salutis fonte, si impiam Vitam, pravas actiones denique & sceleratissimos mores æquâ lance libramus, â veritate haud quaquam aberrabimus, si gregem flagitiosissimam Satanæquè Synagogam appellaverimus. Enim verò, quibus criminum maculis non sunt fœdati? quibus flagitiis non sunt cooperti? Ecquod malum non concipiunt? quas fabricas non fingunt? quibus malignis artibus non sunt imbuti? sunt audaces, callidi, in scelere vigilantes, in fraude diligentes, nunquam non ambitiosissimi animi. In ipso exilio & servitute erigunt cristas, suam gentem solam efferentes, reliquas nationes omnes flocci pendentes, & nescio quod dominium regium sibi stultè imaginantes. Accedit detestanda auri & argenti cupiditas, qua Christianorum pecunias per fas & nefas corradere perditè

tè satagunt. Ut trutina in eam partem vergit, in quâ jacet plus ponderis; sic verpi Isti vivunt, ubi plus æris. Ut canis, quicquid ejicit, rursus devorat, & ad spem futuri hiat, sic Apellæ semper concupiscunt opes fidelium: citius gurgites maris expleveris, quàm istos bonorum heluones. Quod vident, cupiunt, aurumque nunquam non sitiunt quasi alter Orcus. Potu restinguitur appetitus bibendi, & cibus desiderio cibi medetur; harum sanguisugarum furiosam libidinem nec aurum nec argentum exstinguere valet. Hinc lucelli & quæstus gratia, susque deque habitâ omni pietate & religione, in omni genere furandi atque prædandi impudentissimè se exercent, hîc istîc per urbes, oppida, pagos vagantes, fallunt, decipiunt, produnt, solùm ut se ditent, alios depauperent, hâc tamen circumspectione, ut imitentur prædones, qui cum omnium communes existant hostes, aliquos tamen sibi instituunt amicos, quibus non modo parcant, verùm etiam prædâ quos augeant, maximè eos, qui habent oppida opportuno loco, quo sæpe adeundum sit navibus. Sic Vultures isti rapacissimi Principes & eorum Ministros muneribus sibi Amicos & Patronos conciliant liberioremque conveniendi aditum extorquent, ut impunius defraudare, plagas mundi, marsupiaque & loculos populorum queant everrere & emungere. Silentio præteribo immanem atrocitatem, quâ vitæ & sanitati Christianis sacris imbutorum struunt insidias. Luculentissimum testem sisto Sacro Sanctum Imperium Romano Germanicum, in quo priscorum majorum tempore non humano sed dæmonico modo fontes publicos veneno inficere sunt ausi, plurimas familias neci daturi, deleturi, extirpaturi. Quid commemorabo de blasphemiis nefandis & inauditis? sacrilega sanè in tremenda divina mysteria, in Deum divosque verba ore execrando profundunt & protrudunt. Sacratissimam Eucharistiam vulgariter appellitant זְבֶל דּוּמָה * (propitium numen ignoscat verbo: interpretari enim propter fœditatem duco religioni.) Hostias sacras, si in manus veniunt, sputo contaminant, pedibus conculcant, in loca fœtida projiciunt. Mariam virginem cogitantes aut ejus conspicientes imaginem scortum nominant; duodecim Apostolos duodecim Dæmones vocant, quo probroso maledicto reliquos etiam Christianos onerant. Videntes sanctorum communionem, digito prorumpunt exporrecto: הִנֵּה מַרְבֵּה מַמְזֵרִים i. e. Ecce gregem nothorum. Exhorrescit animus & vox faucibus hæret, si in memoriam revoco, quantâ amarulentiâ in sanctissimum & divinissimum Servatorem nostrum Jesum scelestissima convitiorum tela vibrent! Missis aliis obtrectationibus unicum exemplum, quod moneta judaïca exhibet & præsentat, oratione hâc ante oculos sistere decrevi. Antequam autem ad opus ipsum me accingo, *Vos, Domini & Auditores omnium ordinum dignitate honoratissimi!* humillimâ animi submissione rogo, ut de difficili re breviter me differentem benivolè audire, studiumque meum attentione vestrâ gratiosissimè excitare haud dedignemini.

* Simile stercori

Quanquam læsæ Majestatis tenentur, qui privo conamine nummos publicos feriunt & signant, nihilominus judæa cohors, quæ omnia turbat & nihil non audet, audacissimè falcem in alienam messem mittit, monetas singulares temerario ausu cudendo, in quarum numerum hanc refero, quam nunc sum expositurus. Agite! nummum argenteum conspicite. Altera facies exhibet imaginem Salvatoris nostri Jesu, juxta quam sculptæ leguntur quatuor literæ Ebraïcæ א (uti vulgò putant) dein י, ש, & ו inter quas ultimam interpretes superfluam esse judicant, existimantes, tribus residuis literis designari Ebraïcam vocem איש i. e. Vir. In alterâ facie variæ Ebraïcæ voces occurrunt effictæ, quæ magnas lectori creant difficultates, quia literæ partim malè sunt expressæ, ut vix agnosci possint, partim una pro altera substituitur, partim literæ unius ejusdemque vocabuli contra genium linguæ & consuetudinem scriptionis judaïcæ ab invicem mirè sunt distractæ & divulsæ, quæ deberent esse conjunctæ, adeò ut omnium confessione œdipo indigeant. Multi Metaphrastæ ingressi hunc labyrinthum, vix sensum & interpretationem elicere potuerunt: atque ita miserè torserunt verba, donec sensum (qualis qualis etiam fuerit) invenerint. Nonnulli legerunt & verterunt;

אִישׁ מָשִׁיחַ מֶלֶךְ בָּא בְשָׁלוֹם וְאָדָם

אָדָם שֶׁשׁ וְיִחִי׃

i. e. *Vir Messias Rex venit in pace, & quilibet homo gaudeat & annunciet.*

Alii aliter legerunt & transtulerunt:

Vir Messias Rex ingressus est in Salem & Aram sive Syriam, homo gaudeat & annunciet.

Quidam exposuerunt:

אִישׁ מָשִׁיחַ מֶלֶךְ בָּא בְשָׁלוֹם וְאָדָמָה רָם עָשׂוּי תָו׃

i. e. *Vir Messias Rex venit in pace & reatus sanguinis exaltavit crucem.*

Sunt, qui inserunt literas, & transmutant Mem Initiale (מ) in Mem finale (ם) legentes:

אֲדֹנָי יֵשׁוּ מָשִׁיחַ מֶלֶךְ בָּא בְשָׁלוֹם וְאָדָם מֵאָדָם עָשׂוּי חַי׃

h. e. *Dominus Jesus, Messias Rex, venit in pace, & homo ex homine factus est vivus, seu verus.*

Nuper transmisit Fautor perhonorandus hanc Teutonicam versionem, in schedulâ vetustâ scriptam, & juxta cum monetâ à Patribus relictam:

Der HErr JEsus / Messias der König ist kommen im Friede / und ist ein lebendiges Licht von dem Menschen worden.

Multi alii sudarunt in eruendâ verâ interpretatione, sed nihil minus quàm veram mentem sunt assecuti. Omnium proximè ad verum accedunt, qui legunt:

אִישׁ מָשִׁיחַ מֶלֶךְ בָּא בְשָׁלוֹם וְאוֹר מֵאָדָם עָשׂוּי חַי׃

h. e. *Vir Messias Rex, venit in pace, & lux ex homine facta est vita.* Huic explicationi opponi quidem posset, hâc ratione אור destituto Vav pingi, sed hoc nihil impedit: More enim Ebræorum fit, apud quos hic defectus non est inusitatus. Nec ר malè, & instar ד sculptum officit. Vidimus in nonnullis figuris accuratiùs expressum. Idcircò postremam lectionem veluti genuinam (unicâ tamen exceptâ voce) ceu infrà audiemus, omnibus aliis præfero.

Præstanti ingenio & doctrinâ Viri, hâc expositione inducti, nummum hunc non Ebræorum genti proprium sed â Christianis esse excogitatum censuerunt. Enim verò verba hæc conferenti cum oraclis divinis in veteri & novo fœdere comprehensis, statim in mentem veniet suspicari, eadem ex sacro Codice esse desumta, in quo similibus Phrasibus Redemtor noster Jesus Christus depingitur. En! singulas voces perpendamus. In anteriore nummi facie putatur scripta vox אִישׁ, quæ Virum designat, non vulgarem sed divinâ excellentiâ præditum, nempe θεάνθρωπον humanam naturam assumentem & cum divinâ naturâ connectentem, quo de divino numine afflatus Vates Jeremias cœlitus sermocinatur: *Mulier circumdabit Virum;* Et ante hunc communis generis humani Mater Eva, cùm in partu Caini Messiam â se natum, falsâ conjecturâ decepta in hæc erumperet verba: קָנִיתִי אִישׁ אֶת יְהוָה *Possedi Virum Dominum.* In posteriori facie occurrit vox מָשִׁיחַ i. e. Messias seu unctus, quo titulo potissimum Christus honestatur, quem Deus unxerat oleo exultationis præ participibus suis tanquam Regem, Sacerdotem & Prophetam, verum & unicum Messiam, quem Andreas inveniens dicebat ad fratrem Simonem Petrum: *invenimus Messiam*, quod est interpretatum: *Christus.* Recutiti quidem pertinacissimè hunc Messiam rejiciunt, sed cur rejiciunt? Cernimus cuncta in Christo adimpleta, quæ divinæ mentis interpretes de Messia addivinarunt. Nempe enim primam vitæ auram hausit ex virgine Vestarum torô puriore, secundum Prophe-

Jer. 31, 22.

Gen. 4, 1.

Ebr. 1, 9.

Ioh. 1, 41.

phetiam Esaïæ, natus est è stirpe Judæ secundum vaticinium Michæ, in quartâ & ultimâ Monarchiâ, ubi sceptrum jamjam erat ablatum, teste Daniele. Insuper est Sacerdos, secundum ordinem Melchisedech: Magnus ille Propheta, potens verbis & factis, Rex in Sion, Rex domus Jacob in æternum, affirmantibus Mose & Davide. Est porrò splendidissimus θαυματοργὸς, miranda edendo opera in cœlo, sancto ablutionis sacramento initiatus; ostenta faciendo in Sole, in morte exalbescente, signa patrando in ventis, flamina spirantibus & â se sedatis, portenta producendo in terrâ, in passione suâ quassatâ, in duris Petris, inter tenebras cimmerias scissis, in spiritibus malignis, omnium cum stupore ejectis, in mortuis, altissimâ voce excitatis, in animabus hominum ad pœnitentiam conversis & illuminatis, in corporibus ægrotorum, vilissimis mediis sanatorum, ut taceam, Eundem annunciare annum placabilem Domino, captivis indulgentiam, clausis apertionem, & adhuc cotidiè conciliare Patri Cœlesti lapsos, in gratiam recipere, remissionem peccatorum indulgere, nos salvos reddere merito suo pretiosissimo, tanquam vulneratum propter iniquitates nostras, attritum propter scelera nostra, cujus livore sumus sanati. Descripturus porro noster nummus regium Messiæ officium addidit: מָלֵךְ בָּא בְשָׁלוֹם i. e. *Rex venit in pace.* Nempe Christus est Rex spiritualis super montem sanctum Sion, regens & gubernans domum Jacob in omne ævum, procurans pacem non humanam sed divinam, non mundanam sed cœlestem, non ad paucos annos tenaciter servandam, sed nullo interrupto tempore in sempiternum seculum duraturam. Urbium, Imperiorum & totius generis humani Rectores, quorum Spiritus ad magna surgunt, maximam partem sagum non togam meditantur cum limitibus Imperii immortalem nominis gloriam extensuri:

Hinc movet Euphrates, illinc Germania bellum,
vicinæ ruptis inter se legibus urbes
arma ferunt, sævit toto Mars impius Orbe.

Aliter ingeniatus est Messias noster Regius; mundo donans pacem cum Deo contra Diabolum, Peccatum, Infernum & propriam conscientiam! Quis divinissimo Numini justissimam & ob id ferventissimam iram gerenti deperditum mortalium genus conciliavit, propitiavit? Christus. Quis peccati vires & virus, delationes & accusationes, debilitavit, excussit, dissipavit? Christus. Quis conscientiam veteri lapsu hinc & illinc titubantem è tot pelagi infernalis fluctibus in tranquillo locavit? Christus. Quis turmis avernalibus devictis, orco destructo, mortis aculeo extorto, fracto, expugnatâ totâ Acheronticâ regione requiem exoptatissimam recuperavit? Christus. Hujus trophæis & victoriis candida Pax rediit nunquam desitura. Supersunt ultimæ voces וְאוֹר מֵאָדָם עָשׂוּי חַיִּי *& lux ex homine facta est vita.* Planè similia legimus apud divum Johannem, ex quo omnia hæc videntur desumpta. Ipsum oraculum audiamus: ἐν αὐτῷ ζωὴ ἦν, καὶ ἡ ζωὴ ἦν τὸ φῶς τῶν ἀνθρώπων: *In ipso vita erat & vita erat lux hominum.* Elegantissimè Messias noster comparatur luci. Lux tenebras repulsat, ille caliginem mentis discutit: Lux ignes molitur & flammas excitat, ille verbi sui igne corda accendit; lux dura malacissat, ille durum & lapideum cor removet & dat carneum; lux, potissimùm Solis, vitam creatis infundit rebus & servat, ille fidelibus est Via veritas & Vita. Videmus, per canaliculos & siphones aquas derivari in fontes: â fonte Christo promanat omnis nostra Vita, naturalis, dum in eo vivimus, movemur & sumus, spiritualis, dum Spiritus Sancti donis & fructibus replet, veluti dolium vino. Alii laudibus efferunt Reges & Principes, qui domant gentes, trucidant hostes, tuentur cives, ab interitu vindicant subditos & Reipublicæ dignitatem amplificant; nos celebrabimus laudes Regis nostri Messiæ & linguis & literis, qui factus vita, vitam donat fidelibus! Quos ita secum loqui audio: Non nos sed Christus vivit in nobis. Hic nostrarum cogitationum, sensuum & contemplationum vita; hic sermonum, actionum & omnium piorum desideriorum Vita; hic corporis, animæ & vitæ vita. Per hunc sumus adepti primò vitam justificationis, nullam amplius in nobis condemnationem persentientes, dein, vitam sanctificationis, sancta meditari, sancta loqui, sancta operari volentes, porrò vitam consola-

Ioh. 1, 4.

tionum, in omni pressura abundantes consolationibus per Christum, denique & ipsam vitam æternam, quam haud inconcinnè dixerimus interminabilis felicitatis totam & perfectam possessionem.

Perspecto Christiano hujus monetæ sensu, restat, ut propriam mentem meam subjungam & exponam. Execrabilis Judæorum astutia & calliditas, qua blasphemias contra Christum & Christianos, velo pietatis obtegere solent, nunquam satis verbis exprimi potest. Audiamus Præclarissimum Eloquentiæ & Philologiæ Decus, Theologum celeberrimum, Dilherrum beatæ memoriæ, hac de re ita differentem: O Quantas Judæi contumelias evomunt in Christianos? Advenientem Christianum ita excipiunt, Sched willkom̃/ut intelligas, seyd willkom̃. At ipsis schedh (שֵׁד) significat Diabolum, perinde igitur est ac si dicerent: Diabole salve! Parili modo moneta prædicta similis est pulchro & dulci malo, extrinsecus rubedine gratissima tincto, aspicientes ad esum allicienti, sed interius vermibus scatenti. Ausim dicere, nummum hunc non Christianorum sed revera Judæorum esse inventum, qui sub sensu Christiano summam & maximam abscondiderunt blasphemiam. Nam prima litera vocis in anteriore latere sculptæ, quam Christiani putant esse א atque adeo secundum piam interpretationem legunt אִישׁ vel אָדָנִי minimè gentium est א sed N majusculum, studio seorsim positum & â sequentibus literis separatum, quo per compendium scribendi denotatur *Nummus*. Residuæ verò literæ ', ש, & vav schurek inferius contra morem Ebræorum paulo longius protractum, ne fraus & blasphemia manifestè in legentium oculos incurrat, præfigurant vocem יֵשׁוּ quo nomine Christum petulantissimè deformant ignominiæ gratiâ. Nam Jesus Ebraicè significat יֵשׁוּעַ quam vocem scelestissimè decurtant, nec יֵשׁוּעַ sed abjicientes ultimam literam ע pronunciant יֵשׁוּ & hoc modo (quod horrendum dictu & auditu) per רָאשֵׁי תֵיבוֹת i. e. abbreviaturam contractam, in quâ singulæ literæ singulas alias voces significant, in mente hanc sacrilegam exprimunt obtrectationem: יִמַּח שְׁמוֹ וְזִכְרוֹנוֹ i. e. *deleatur & extirpetur nomen & memoria ejus*, ita, ut talis lectio, sensus & expositio promanet:

יֵשׁוּ מָשִׁיחַ מֶלֶךְ בָּא בְשָׁלוֹם N.

וְאוֹר מֵאָדָם עָשׂוּי חַיִּים

i. e. *Nummus Jeschu [deleatur nomen & memoria ejus] Messias Rex venit in pace, & lux ex homine facta est vita.* Hanc abominabilem blasphemiam, ut omnes impietatis numeros impleant, Christo ipsi in faciem evomunt, dum in nummo nostro יֵשׁוּ ita sculpi curarunt, ut attingat Salvatoris nasum & vultum, quem præter morem & consuetudinem ad augendum probrum non ad dextram, sed ad sinistram astutissimè versum cernere licet. ô blasphemiam defamatissimam! ô vocem sceleratam ad Indos & Garamantas relegandam. De hâc nefandissimâ impietate testem advoco fulgidissimum Orbis eruditi Lumen, Magnum Buxtorffium scribentem: יֵשׁוּ *significat* יִמַּח שְׁמוֹ *deleatur nomen ejus: maledictio judaica est in personam Jesu Christi directa: hunc nunquam appellant* יֵשׁוּעַ *sed* יֵשׁוּ *idque per mysterium hujus blasphemæ imprecationis. Elias ipsemet in suo Tisbi scribit, Judæos, quia non fateantur ipsum Salvatorem, ideò nolle eum integrè appellare* יֵשׁוּעַ *sed* יֵשׁוּ. Idem Vir clarissimus addit sequentes explicationes. *Mihi ante paucos annos hâc de re, cum quodam Judæo conferenti, imò, respondit, & non sic tantum explicatur sed & talem in modum:* יֵשׁוּ שֶׁקֶר וְתוֹעֵבָה i. e. Jesus mendacium & abominatio. *Sed cursim & in transitu alia duo arcana ex secreto Cabalæ Judaicæ detegam, quæ in idem hoc nomen incidunt. Notum est, quod sæpius monentur Israëlitæ in sacris literis, ne colant* אֱלֹהֵי נֵכָר *Deos alienos vel Deum alienum. Quid* אֱלֹהֵי נֵכָר *per speciem numeralem Gematriæ, hæ literæ valent sedecim & trecenta, totidem valet* יֵשׁוּ. *Docent ergo, dum Deus debortatur â cultu* אֱלֹהֵי נֵכָר *idem esse ac si debortatus fuisset*

Atr: ling: sanct: p. 47.

De abbrev. Ebr. p. 101.

fuisset à cultu יֵשׁוּ. *En serpentinam malitiam. Alterum detexit jam pridem Antonius Margarita in libro de fide & religione Judæorum. In libro precum Judaïcarum extat quædam precatio, incipiens* עָלֵינוּ. *In eâ verba quædam sunt, quæ olim expressè in libris ponebantur, postea metu Christianorum fuerunt omissa, relicto spacio vacuo, ut monerentur sive pueri sive adulti simpliciores, ibi aliquid deesse. Verba omissa sunt:*

הַמִּשְׁתַּחֲוִים לְהֶבֶל וָרִיק וּמִתְפַּלְּלִים אֶל לֹא יוֹשִׁיעַ

i. e. *Qui incurvantes se honorem exhibent vanitati & inanitati, & adorant eum, qui non poterit servare. Hæc etsi in genere de Idolis dicantur, tamen occultè in Jesum contorta sunt, quem his titulis insigniunt: nam* וָרִיק *per Gematriam valet sedecim & trecenta, totidem* יֵשׁוּ. *Hæc cum intelligere animadverterent Christianos, in libris editis omiserunt.* Addo unicum adhuc locum ex Lexico Talmudico: *prisci Babylonii & Talmudici dixerunt* יֵשׁוּ *pro* יֵשׁוּעַ. *Drusius simpliciter dialecto linguæ adscribit, nec Judæorum malitiam ullam hîc agnoscit. Fieri potest, ut primitus ita fuerit. At postmodum malitiam ipsorum accessisse, quæ etiamnum hodiè durat & aucta est, nimium benè norunt, quibus aliqua cum Judæis conversatio est. Nam apud ipsos vulgatissimum est,* יֵשׁוּ *abbreviatè significare* יִמַּח שְׁמוֹ וְזִכְרוֹ *deleatur nomen & memoria ejus.* Lexic. Talmud. p. 992

Nunc, *Auditores Splendidissimi!* considerate, quid impia hæc gens corruptione salutaris nominis machinetur, moliatur? judicate, execratione, relegatione, damnatione digna sit necne? O noxam igne, ferro, & nullo non supplicii genere expiandam! Secundum legem Mosaïcam blasphemi obruebantur lapidibus. Jura civilia Numinum violatores capitales pœnas sustinere dignos censent, quia propter talia delicta & fames & terræ motus & pestilentiæ fiunt, decernente Imperatore in Novellis; O *inexhaustam* Patris patientiam, quæ filii opprobrium non dudum mille fulminibus est ulta! Core, Dathan & Abiram, Mosi convitiantes, vivos terra dehiscens absorpsit. Assyriæ Rex, Sennacherib, contumeliosis verbis proscidit Deum Israël! sed angelus Domini unâ nocte totum exercitum centumque & octoginta quinque millia militum prostravit, necavit, delevit. O Judex Justissime! cur terram calcare sinis, qui æterni Gnati memoriam ex terrâ eradere & exstirpare improbissimè conantur! Mortis habentur rei, qui famosos libellos contra Reges scribunt & publicant, ut seditiones excitent, & Imperia evertant! O Domine mundi fortissime! cur connives & parcis Regi Regum gloriam adimentibus, & de solio sanctitatis dejicere machinantibus? Quis hîc non exclamet? *Scio, Domine, quod tu Deus clemens & misericors, patiens & multæ miserationis.* Ita est: multi ex Ebræâ grege majori fruuntur felicitate, quam nostri plebeji, qui vix panem quotidianum lucrari possunt: præpollent opibus, valent apud Summates gratiâ, faciunt quæstum, quem affectant, inveniunt judices benignos, negotiantur feliciter, attamen tandem, nisi resipuerint, conjicientur in flammas infernales, ubi vermis eorum non morietur, nec ignis ipsorum extinguetur. Sed vela contrahere & in portum referre me debeo, antequam tamen finem dicendi facio, non possum non (cùm propediem studia mea usque hâc in incluta Urbe nostra inchoata, acroamatibus Academicis augere & propagare constitui, & ob id discessum meditor) beneficia, quæ plurima & maxima â multis accepi, absque grati animi testimonio illaudata aut intacta transmittere.

Levit. 5, 14,--17. Novell. 77. c. 1. Jon. 4, 2. Esa. 66, 24.

Tibi igitur, *Triune Deus*, qui cœlum, qui mare, qui terram temperas, infinitas ago gratias pro immensis in me collatis beneficiis. Tu solus me hominem non brutum creasti, hanc corporis structuram formasti, primum vitæ halitum infudisti. Tuo solo beneficio natus sum è parentibus honestis iisque Christianis, sacro baptismatis lavacro me tingentibus, infantiam alentibus, pueritiam educantibus, adolescentiam doctrinâ bonisque artibus expolientibus. Tu solus contra inimicorum meorum vota & maledicta clementissimè me conservasti. Tuas etiam solas potissimum concelebro laudes, Tuam solam unicè imploro opem, ut conaminibus meis porrò Spiritus Sancti adsistentiâ succurras, sapientiam & cogni-

FKTm 971

cognitionem artium implantes, beneficosque Patronos excites, ad quos veluti navis in tempestate ad ancoram, in adversis tutò queam confugere, sic æternabunt honor & gloria in sempiternitatem seculi. E cœlo in terram redeo & ad Terrenos me converto Deos, speciatim ad *Generosissimum DOMINUM Ephorum* reliquosque *DOMINOS Scholarchas* omnia encomia superantes. *Vos*, ô *Sacri Concilii Lumina Illustria*! hactenus Musarum mearum *Phœbus* fuistis. Mittam favorem & amorem, quo complectimini Musarum alumnos, tacebo curam assiduam & certè paternam, quam in constituendis Scholis geritis. Omittam beneficiorum nimbum, quo tenuis fortunæ hominum animos aridos humectare & refocillare soletis. Insignissimæ duntaxat *Justitiæ Vestræ* exempla, quibus clementer innocentes tutamini, deprædicabo, quæ ruminanti mihi accidit, quod solem intuentibus solet. Horum oculos splendor lucidus mirificè præstringit, ita fulgor Vestræ Themidos mentem & linguam obruit, ut obmutescere me oporteat. Macti estote virtute hâc, *Sacratissimi Antistites*, Annate, Perennate, constanti sanitate & felicitatibus innumerabilibus cumulati adversus omnis generis calamitatum pericula alis divinis tecti. CHRISTUS, supremi cœli Consiliarius, consiliis Vestris pondus, robur, & vires addat, ut in civium & subditorum conservationem, perpetuam protectionem & totius urbis æternum cedant stabilimentum. Properat oratio ad summa hujus Auditorii inclyti Decoramenta, ad *VOS Excellentissimos, Præclarissimosque Dominos Professores arctiore veneratione colendos!* quibus omnibus modis devinctissimum me agnosco. Eminent & elucent in Vobis tanquam Luminibus tot profundæ Eruditionis radii, ut mediocriter quoque doctos advertatis & afficiatis. Proœmiamini & Philosophamini apertè, narratis aptè, pugnatis acriter, colligitis fortiter, ornatis excelsè, postremò docetis & delectatis. Nihil ex Vobis audivisse me memini, nisi profuturum, nihil didicisse, quod nescisse rectius fuerit. A Vobis studia hactenus mea Spiritum, Sanguinem & vitam duxerunt. Referrem summa hæc beneficia, sed Vestra inserviendi promtitudo non desiderat remunerandi vicem, nec mea fortuna suggerit restituendi facultatem. Quod solùm igitur opis est meæ, gratias ago, verùm ita, ut apud Deum fieri amat, sentiendo copiosius, quàm loquendo, substituens meâ vice Deum omnis boni remuneratorem. Beneficissimum Numen vires Spartæ laboriosissimæ sufficientes impertiatur, annis annos addat, diutissimeque superstites esse sinat. Quod superest, claudo voto devoto:

O DEUS *omnipotens, cœli terræque Creator,*
percipe clementer vota precesque meas.
Dejice belligeros, crudeles finibus hostes,
armorum vires frange potente manu,
Conserva Patriam, pacem largire benignam,
post nimbos densos mitte dies placidos;
Curia persistat longis innoxia seclis,
toto fulgescant Orbe PATRES PATRIÆ!

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-11989-p0014-0

VD17

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-11989-p0015-6

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-11989-p0016-1



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-11989-p00117-7